



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1869**

De S. Aurelia Virgine Argentorati In Alsatia. Sylloge.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70595)

A r Scilicet iconoclastarum addit de suo Guesnayus in Annalib. ecclesiasticis ad annum 621: serpsisse Massiliæ ea ætate hanc hæresim, ut ut et favere visus sit Serenus Massiliensis episcopus, ex Gregorii I ad illum Epistola non colligitur: vivisse autem tum temporis S. Cannatum Guesnayus neque probavit, neque probando fuit. Verosimilius

est Anonymum hic hæresim Arianam, qua Visigothi infecti erant, indicare voluisse.

s Thren. 2 v. 15; sed sensu plane opposito: hic de Hierosolyma eversa, Anonymo de Massilia instaurata est sermo.

t Job. 36 v. 11.

u Sub finem forte sæculi v.

EX VETERE MS.

## DE S. AURELIA VIRGINE

### ARGENTORATI IN ALSATIA.

#### SYLLOGE.

J. B.

S. Aureliæ in Fastis sacris memoria, Acta qualiacumque, cultus sacer, et ab homonyma Ratisponensi distinctio.

Sac. IV  
VEL V.  
Sanctæ apud  
Martyrologos

A rgentoratum, seu Argentina, vernacule Strasburg, Alsatia caput et episcopalis sub Moguntina metropoli ad Rhenum civitas nobis hodie S. Aureliam suppeditat, ut quæ illic mortales exuvias deposuerit, et prodigiis, ut infra dicetur, inclaruerit, et cultum sacrum a multis retro temporibus fuerit consecuta. Martyrologium quod ejus meminerit, nullum vetustius eo reperi, quod Augustæ Vindellicorum edidit Matthias Fredericus Beckius anno 1687, jam tum, ut ait, ab annis septingentis scriptum; sed nudum dumtaxat S. Virginis nomen hoc modo refert: Idus Octob. Aureliæ Virg. [Antiquioris Beckiano Martyrologii mentionem facit Schoepflin (a): Aureliæ, inquit, Virginis cujusdam Argentoratenses ab antiquo coluerunt memoriam, quod Martyrologium illud Argentinense, sæculo VIII vel IX in ecclesiarum Alsaticarum usus conscriptum, demonstrat, ubi ad Idus Octobris legitur: « S. Aureliæ Virginis » scilicet memoria: nec dubium quin templum Aurelianum ab hac nomen acceperit.] Frequentior ejus fit apud martyrologos recentiores mentio: locum addit Martyrologium Romanum hodiernum his verbis: Argentorati Sanctæ Aureliæ Virginis. Verbis iisdem utitur Molanus apud Sollerium in Auctariis ad Usuardum, si loci, quem Argentinam appellat, nomen accipias. Notitiam paulo uberiorem Sanctæ præbet Lubeco-Coloniensis Usuardi editio, In Argentina, inquit, natale Sanctæ Aureliæ Virginis, quæ fuit una de undecim millibus Virginum et in reditu de Roma infirmata ibidem obiit. His similia legas apud Grevenum: similia item in Martyrologio Germanico, Canisii dicto; et in Florario nostro MS. Plura alia missa facio, quod nihil de Sancta nostra, præter jam adducta, peculiare suppeditent.

2 At vero præteriri silentio nequit Martyrologium Parisiense, Card. de Noailles Parisiensis archiepiscopi auctoritate anno hujus sæculi [scil. XVII] supra vigesimum septimo editum, quod ad hunc diem de S. Aurelia hæc speciatim memorat: Argentorati, Sanctæ Aureliæ Virginis,

in cujus honorem extractum antiquitus oratorium, ejusque consecratum reliquiis, Sanctus Columbanus in Alemanniam veniens, apud Brigantium invenit, et altare, quod a barbaris profanatum fuerat, renovavit. Singularia plane, sed non æque vera, quæ ad hunc diem in Martyrologio suo Hispano de S. Aurelia ex pseudo-Juliano Tamayo profert: audiat: Argentorati in Germania, inquit, S. Aureliæ Virginis et Martyris (refragatur huic martyrio quidquid alibi martyrologorum scriptorumque est), B. Agathopæi, Augusti liberti, ex Gallæcia Hispaniæ oriundi filia, quæ ab Apostolo Jacobo Hispaniarum magistro cum patre et sorore ad fidem conversa, fidei regulas viriliter est amplexa, pro quarum observantia ad martyrii coronam accessit. Agathopæo scilicet, uti in Annotatis Tamayo addit, Martyri Antiocheno duæ fuerunt ejusdem nominis filia, quarum altera Anagninæ in Italia, altera Argentorati in Germania martyrii coronam meruere. Commentitia Juliani, archipresbyteri Toletani, adversaria jam sæpe explosa sunt, quæque hoc loci Tamayo inde affert abunde refutata habet lector a Suiskeno (b) ad diem xxv Septembris, ubi de S. Aurelia Anagninæ culta; ita ut pluribus de his disceptare non sit operæ pretium.

3 Consonant Usuardo Lubeco-Coloniensi, Martyrologio Germanico et Florario nostro MS. supra citatis, ac S. Ursulæ sodalitiis S. Aureliam adscribentibus, qualiacumque hujus Acta Breviario Argentinensi, anno 1489 Joannis Reynaldi (alias Gruninger) impensis edito, inserta (c), quæ, licet ex traditione incolarum potius, quam ex indubitatis antiquitatis testimoniis profecta, nec sæculo XIII antiquiora, inde lectori hic sistimus: ita habent: Lect. i. Tempore cum per divinam ordinationem beatissima Ursula cum suo comitatu a civitate Romana ascensis navibus per decursum Rheni redire disposuisset, sicut plenius in Gestis ejus continetur, Aurelia Virgo illustrissima, quæ in prædictæ Sanctæ Virginis comitatu extiterat, divina favente gratia, in aqua, quæ Caltæhe (Kaltau Rheni brachium) vocatur, febre arrepta

(a) Alsat. Illustr., t. I, p. 341. — (b) T. VII. Septemb., p. 141.

— (c) fol. 476.

et

AUCTORE  
J. B.

et in locum extra muros civitatis Argentinensis, ubi nunc requiescit, deducta, spiritum exalavit, ubi præstantur beneficia Dei omnibus ipsam sincera fide colentibus. II. Fertur namque de ipsa inter cætera, quod cum quondam rex Philippus nimio invidiæ zelo accensus civitatem Argentinensem obsideret, quidam tyrannus criptam Sanctæ Aureliæ introivit, asserens ibidem esse thesaurum absconditum; et statim cum percussisset instrumentum ad aperiendum sarcophagum, spiritus malignus intravit in ipsum, et dentibus propriis manus et pedes comedendo vitam finivit. III. Qui cum sepultus fuisset in cimiterio, iterum et tertio corpus ejus inventum est inhumatum, jacens super terram, clauso sepulcro: ut impleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam David: Misit de cælo et liberavit me. Dedit in opprobrium conculcantes me. IV. Quod videntes ejusdem ecclesiæ fideles funem trunco imposuerunt, et in aquam non longe a loco fluentem traxerunt, et abire permiserunt, thuribulo sibi apposito, impleto stercore equino. Et omnis plebs, quæ vidit, dedit laudem Deo, qui nos ejusdem Sanctæ Aureliæ Virginis intervenientibus precibus et meritis perducatur ad portum perpetuæ salutis.

ex Breviario  
Argentinensi

4 v. Sequitur quadam die prædictæ festivitatis signum mirabile, imo potius lamentabile. Promiscui sexus homines civitatis Argentinensis pro parvo habentes festum Aureliæ, exeuntes de civitate pro limo ferendo, qui multus apud ecclesiam rufam est. VI. Venerunt itaque ad quamdam fossam ibidem sitam, exultantemque, quam cum more solito fodere cœpissent, in momento virgines XXIII ibidem oppressæ et conclusæ sunt. Quod nullus sanæ mentis ambigit, quin ad hoc factum sit, ut comprobaret Dominus, qui in Sanctis suis digne laudari voluit et vult, quanti meriti, quantæque præmemoratum festum coram eo et Sanctis suis Angelis in cælis existat, et nos et nostros sequaces perhenni donatione (*legendum credo devotione*) venerari oporteat. *Philippus rex, cujus mentio fit Lectione 2, est Philippus Sveciæ dux, qui mortuo Henrico VI imperatore fratre suo, a principum parte rex Romanorum salutatatus fuit, stantibus aliis ab Ottone duce Brunsvicensi, in quibus erat Conradus II Argentinensis episcopus, quem bello Philippum petiit; qua de re hæc habet apud Urstisium in Fragmento incerti auctoris (a): Anno MCCCIX, rex Philippus, iterum collecto exercitu, tempore messis Alsatiæ petiit, et omne frumentum pessumdedit, adversas domos in Rubiaco confregit: multa præsidia Argent. episcopi et comitis Alberti destruxit, ipsamque civitatem obsedit. [Breviarium Constantiense anni 1575 obsidionem de qua agitur Philippo Francorum regi tribuit: sed perperam; etenim inter Francorum reges hujus nominis nullus reperitur, qui Argentinæ civitati infestus fuerit.]*

partum anti-  
qua:

5 Relata in Actis isthæc civitatis Argentinensis anni 1199 obsidio fecit, ut illa sæculo XIII haud antiquiora esse num. 3 dicerem: imo ad sæculum fortasse XIV, cum de obsidione illa, tamquam de re quondam seu dudum præterita loquantur, referenda sunt. Sed sive sæculo XIII, sive XIV aut sequenti hæc Acta primum sint exarata, facit equidem tam remota illorum ab ætate S. Aureliæ ætas, ut ea, quæ de S. Aureliæ cum S. Ursula societate in iis dicuntur, ex indigenarum potius traditione, ut supra agebam, quam ex fidei indubiæ et ad ætatem S. Aureliæ sat prope accedentibus monumentis hausta existimem. Eadem traditione nititur, quod de S. Aureliæ sodalibus sanctisque pariter Virginibus Einbetta, Vorbetta et Vilibetta, ægrotanti Aureliæ a S. Ursula adjunctis, ac Argenterati,

ubi et ipsæ in pace quærevæ, cœlitum honore affectis, circumfertur. Quando hanc vitam cum cœlesti commutavit Aurelia, non definimus; sed accuratius indagandum de S. Ursula ad diem XXI Octobris tractaturo relinquimus: quapropter supra ad hujus Sylloges caput in margine, sæculum IV aut V adnotavimus, ob auctorum ea in re discrepantiam.

6 His certiora habemus de cultu sacro S. Aureliæ: non solum enim ejus Officium Argentinense anni 1489 Breviarium complectitur, sed etiam Litaniae continet (b), in quibus S. Aureliæ, inter S. Attalam et S. Mariam Magdalenam mediæ, patrocinium invocatur. Officio Oratio præmittitur hujusmodi: Deus, qui beatam Aureliam Virginem febre arreptam ad te migrare fecisti, concede, quæsumus, omnibus nobis ejus festa colentibus, ut ejus apud te precibus ab omni potestate febrium et ab omni malo liberemur, atque omnium bonorum futurorum nos facias esse consortes. Per. [Recentius Breviarium seu Proprium ecclesiæ Argentinensis exhibet Orationem, quæ magis ad communem normam accedit: Preces nostras, quæsumus, Domine, quas in B. Aureliæ Virginis tuæ festivitate deferimus, clementer exaudi: et fac nos tibi puris semper mentibus deservire. Per. Quod infra dicitur Constantiense Breviarium easdem habere lectiones, sed in tres solum partes divisas, editioni supra citatæ non quadrat, utpote quæ exhibeat legendam aliquanto contractiorem.] Jungitur S. Hedwigi Aurelia Idibus Octobris in Calendario Missalis Specialis anno 1512 Argentinæ ecclesiæ. Habet item Argentinæ ecclesiam suo nomini dedicatam, uti Franciscus Guallimannus in Episcopis Argentinensibus cap. IX (c) his verbis docet: Præter has quatuor collegiatis (cathedralem Deiparæ Virgini sacram, S. Petri Senioris, S. Thomæ et S. Petri Junioris) erant totidem parochiæ S. Aureliæ, S. Andreæ, S. Martini, S. Nicolai. Conditam ferunt sæc. VI, adeoque frequentatam, ut, extractis circa illam ædibus, civitatis pomerium dilatandum fuerit anno 700: modo eam civitas sinu complectitur, eo ipso loco sitam, quo sepulta fuit Aurelia. Sacrum præterea cultum in diocesi Constantiensi consecuta est, uti ex Breviario illius ecclesiæ anni 1561 penes nos extante liquet; in quo item iisdem verbis leguntur in tres Lectiones divisa, quæ supra quatuor primis continentur, sed cum oratione S. Aureliæ minus propria: Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui beatæ Aureliæ Virginis tuæ natalitia oblimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per.

7 Modo Lutheranorum usui cessit, a quibus anno 1524 ejus Reliquiæ in cineres redactæ fuerunt; sed cultum abolere non potuerunt. [Id factum est anno XXIV sæculi sexti decimi, ut nos docet Ludovicus Laguille Noster in sua Alsatiæ Historia (d) et confirmatur ex protestatione Canonicorum ecclesiarum S. Thomæ, S. Petri Junioris et S. Petri Senioris data die VI Januarii anni sequentis, apud cit. Laguille (e), in qua dicitur: Notius noto existit qualiter præsertim in dicta civitate Argentinensi ipsius Lutheranae sectæ assectatores in dictis collegiatis tribus ecclesiis et earumdem parochiis omnem ritum et observantiam a Sancta Matre Ecclesia salubriter institutis, tam in Sacramentis ministrandis quam Missarum solemnibus celebrandis, non solum evertere conati sunt, imo revera subverterunt, prout supra notatum est: et quod pejus est, nuper in ecclesia parochiali Sanctæ Aureliæ, quæ pleno jure dictis Dominis de Capitulo S. Thomæ subjecta existit,

(a) *Rev. Germ. Script.*, t. II, p. 86. — (b) *Ibid.*, fol. 65 verso. — (c) *Ibid.*, p. 61. — (d) *Hist. d'Alsace*, part. II, p. 61. — (e) *Ibid.*, part. III,

a ossa Sanctæ Aureliæ Virginis in eadem ecclesia recondita sacrilego more exhumarunt, tumbam temere concusserunt, etc.] *Exat præterea luculentum cultus sacri jam olim S. Aureliæ impendi soliti ex Martyrologio Parisiensi num. 1 citati, monumentum, quod Oratorii sanctæ Virginis sacri et per S. Columbanum a gentiliū profanatione repurgati mentionem facit: hausta ea pars annuntiationis fuit ex Vita S. Galli, quam Walafridus Strabo abbas Augiensis scripsit, anno 859 ex hac mortali vita ereptus, uti Mabillonius (a) ex Hepidanno Gallensi monacho in Observationibus ad S. Galli Vitam a Walafrido scriptam annotat. Rem ipsam ipsius Walafridi verbis Vita S. Galli cap. vi accipe: Illis igitur illuc (Arbona Brigantium, quæ sila sunt ad lacum Tigurinum oppida) ire cupientibus, paravit presbyter (Willimarus, apud quem hospitali fuerant diebus septem) naviculam et imposuit remiges. Venerabili s autem abbas (Columbanus) cum comitibus et quodam diacono navem conscendens, invocato nomine Domini, ad locum desideratum (Brigantium) via recta pervenit. Egressi de navicula, oratorium in honorem Sanctæ Aureliæ constructum adierunt, quod postmodum B. Columbanus in præseu renovavit honorem. Cesserat enim id temporis superstitionis ethnicorum ritibus: dein vero Walafridus, narrata incolarum saltem magna ex parte S. Galli opera ad fidem Christi conversione, in rem nostram hunc ad modum pergit: Beatus autem Columbanus jussit aquam afferri, et benedicens illam, adpersit ea templum, et dum circumirent psallentes, dedicavit ecclesiam. Deinde invocato nomine Domini, unxit altare, et Beate Aureliæ Reliquias in eo collocavit, vestitque altari Missas legitime compleverunt. Omnibus itaque rite peractis, reversus est populus in sua cum gaudio magno. Eadem, sed contractius, narrat et Ratpertus S. Galli monachus lib. 1 cap. 1 de Origine et Casibus monasterii sui (b).*

Brigantii et  
Argentorati.

8 Refertur ad sæculi septimi initium debet exipiari per S. Columbanum a gentiliū superstitionibus S. Aureliæ templi epocha: Jonas quippe Vitæ Sancti Columbanus scriptor suppar scribit cap. LIX ejusdem Vitæ apud Mabillonium (c), Columbanum, relicta Gallia et Germania, abiisse in Italiam, cum vidisset devictum a Theodorico (Burgundiarum) Theodobertum (Australiarum regem): id quod anno Christi 612 evenit; posteaquam mirum, teste Walafrido in Vita S. Galli cap. vi, apud Brigantium moratus fuisse annis tribus vel circiter: unde templi illius expiationem sub annum 610 factum fuisse oportuit; quod si tum, uti Ratpertus monachus S. Galli apud Goldastum in opere jam citato loquitur, id jam olim Christianæ religioni dedicatum fuerat, profecto jam ante illam epocham, et fortasse quidem dudum ante, sacer S. Aureliæ cultus non in Alsatia modo vigeret, sed etiam in vicinis ultra Rhenum Germaniæ regionibus. Neque enim de alia sancta Virgine Aurelia, quam de nostra hæc accipi posse videntur, Argentorati mortua, sepulta, et semper culla. Sæculo xv, quæ humanæ naturæ inconstantia est, apud Argentoratenses S. Aureliæ cultus deferbuit; sed eodem sæculo, occasione apparitionis ejusdem Sanctæ Virginis, personæ cui-dam piæ factæ, vigori pristino, elevato ejus corpore, temploque, quod ipsi dicatum est, refecto, restitutus fuit. Rem gestam anno 1460, ex MS. Germanico, latine a se reddito, sed ab auctore æquali primum ecarato, Crombachius tom. II

(a) Sac. II. Bened., p. 227. — (b) Goldast. Scriptt. rer. Alamant. part. 1, p. 1. et Periz Monum. Germ. 1, II, p. 61. — (c) Sac. II. Bened. Tomus VII Octobris, Pars Prior.

S. Ursulæ vindicata cap. xxx ita proponit: Paucis ante annis nostra memoria accidit, circa annum Domini MCCCCLX cum pia in paucis persona in D. Aurelia fervidas ad Deum funderet preces, e tumulo S. Aurelia Virgo prodiit ad spectabili forma, plena luce, querelas ingeminans, quod ingloria delitesceret isthic, nec ulo mortales eam cultu dignarentur: ita ostium versus cum exire vellet, supplex persona dicta fit Sanctæ Virgini, rogat demisse, quo locorum concessura. Respondit Aurelia, Coloniam se cogitare ad Sodales reliquas, ut communi cum ipsis honore et cultu perfruatur, quæ sola isthic omni destituta reverentia quiesceret: hic obtestari illa, orare, imo exorare, locum et stationem illam ne desereret, acturam se, ut congruo honore deinceps celebraretur. Confestim illa, quæ viderat prodigium, consules adit et magistratum urbis Argentiniensis: querelas Sanctæ Virginis exponit, et imprimis, quod testudinem subterraneam sepulcro incumbentem minari jam ruinam dixerat, itaque humilem et abjectam esse, ut vulgo despiceretur. Fama miraculi vulgata, cives operam dedere, ut tumulus innovaretur: ergo dum, operimento semoto, sarcophagus reseratur, tota integra lineis amicta vestibus invenitur: clauso deinde tumulo, inculpunt lapidi sepulchrali S. Aureliæ effigiem elevato monumento: cryptamque ejus elegantissimis adornant picturis: tum sancte promittunt cives, plus se honoris deinceps et reverentiæ S. Virgini exhibituros, quam hactenus, suam agnoscentes et deprecantes negligentiam, habuissent. Non ita accurate sarcophagi potius, quam corporis S. Aureliæ, prout quidem jam citatis verbis describitur, inspectio facta est, quin fieri potuerit facile, ut portio corporis sacri aliqua, licet illud ita compositum fuerit inventum, ut totius inlegrique corporis intuentium oculis speciem exhiberet, olim Brigantium translata fuerit, et eo loci in S. Aureliæ templo reposita; atque adeo non facit ea inspectio, ut Argentoratensem Aureliam a Brigantina secernere necesse sit.

AURELIA  
J. B.

9 Verum idemne statuendum de Aurelia Ratisponensi? Nam et isthic celebris est Aureliæ memoria. Plane non arbitror. Proluxum huic Aureliæ elogium tenuit Raderus in Bavaria Sancta (d) ex Monumentis S. Emmerammi, Wolfgango Sclendero aliisque. Præcipua elogii capita hæc fere sunt: Aurelia Lutetia Parisiorum nata patre Hugone Capeto (anno 987 in Gallia regem inuncto), cum jam nubilis esset, Etuviano juvenutis Lutetianæ facile principi in conjugem destinata, servandæ virginitatis amore clam profuga, omnibusque ignota anno 975 Ratisponam ad S. Ramoldum S. Emmerammi abbatem venit, a quo extra pomerium claustrum, quod S. Andreæ postea dictum est, inclusa, post annos 52 extra hominum strepitum pie sancteque exactos beato fine quieverit anno 1027, die xv Octobris. Sitne eadem, quæ Aurelia Argentoratensis, an diversa, sibi hæc constare Raderus ait; ex quo Saussayus idem elogium in Martyrologium suum Gallicanum ad hunc diem, mutato hinc inde nonnihil stylo, transferens id ita concludit: Corpus ejus purissimum, cœnobio S. Emmerammi illatum, in peristyllo, hodieque altius e terra extans cum epigraphe propria visitur, memoriaque ejus ibidem colitur anniversariis sacris, jam ab annis supra sexcentis. Quisquis postrema Saussayi verba legerit, eo hæc scripta autumat, ut Aureliæ cultus sacer vindicetur. Atqui Raderus, ex quo Saussayus Aureliæ concinnavit Elogium, anniversarium istud sacrum

Aurelia  
Argentorati  
culta

(d) 28. — (e) T. II, p. 106.

acroas  
J. B.

A non cujusmodi in honorem Cœlitum, Sanctorum Beatorum titulo gaudendum, celebrari solet, fuisse scripsit, sed funebre, quale etiam celebrari pro iis solet, quibus neuter ille titulus quadrat. [Instaurantur, ait Raderus, quotannis illi funebria sacra apud S. Emmerammum jam ab annis quingentis octoginta novem numquam intermissa, uti testatur Wolfg. Selenderus.] Saussayo consonare videtur Brunnerus *Annalium Boicorum part. II lib. IV num. 7 ad annum 1027, ubi ait*: Corpus (Aureliæ) Boicæ pignori relictum colitur ut Divæ: verum in quo situs sit cultus ille explicat Joannes Adlzreiter item in *Annalibus Boicis part. I lib. XVI num. 15 his verbis*: Ejus tumulus, quotannis appenso tapete, et accensis candelis, celebratur, more ab anno MXXVII (Aureliæ emortuali) ad annum usque MDXCIX, quo Selenderus (cujus de Aurelia lucubratione caremus) scribebat recepto: quæ sane cultus species, si nihil illi aliunde accedat, non ita Sanctis Beatissimæ est proprius, ut fundando Sanctæ Beatæ titulo per se sufficiat. Observo quidem ex Mabillonio in *Itinere suo Germanico (a)*, hujusmodi cultum funebrem in S. Emmerammii monasterio exhiberi S. Ramuoldo abbati; hunc tamen ibidem ut Sanctum colit: ita enim ille: Hujus anniversarium quotannis recolunt, tametsi in privatis orationibus invocatur ut Sanctus: sed nihil de Aurelia, de qua paulo ante egerat, hujusmodi memorat, nec Sanctæ vel Beatæ illi titulum tribuit, contra ac in Ramuoldo facit.

a Ratispo-  
nensi.

10 Mabillonius porro citatus, ac testis eorum, quæ scribit, oculatus de Aurelia Ratisponensi, ejusque tumulo sic habet: Ad portam claustrum, qua in ecclesiam aditus patet, visitur tumulus satis elegans, super quem exstat effigies cujusdam Aureliæ, quam Hugonis Capeti filiam putant, super quatuor lapides erecta. In margine lapidis superioris hæc leguntur:

- " Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,  
" Quæ pœnas nescit cœli dulcedine fulta."  
" Lientwinus Camer. (forte Camerarius) canonicus  
" et scholasticus Majoris ecclesiæ. " Cœlestinus  
" S. Emmerammii abbas (b) legit: Gomerius, Gamedus,  
" vel Gemeroldus. Appensa est, pergit Mabillonius,  
" a capite una tabella, in qua hi versus hand in-  
" nelegantes, sed recentius descripti:  
" Contegor hoc tumulo soboles clarissima re-  
" gnum,  
" Gallia quam genuit, nunc tenet Imbripolis.  
" Huc profuga adveni fugiens consortia sponsi,  
" Servarem ut castum, Christe, cubile tibi.  
" Præstat hinc Ramuoldus opem, dum vita ma-  
" nebat,  
" Ut pia libarem thura precesque Deo.  
" Vin tempus vitæ? Usa fui vitalibus auris  
" Lustra decem, his annos insuper adde  
" duos.  
" Hic expecto tuum districtum, Christe, tri-  
" bunal,  
" A dextris sedeam tunc dabis inter oves."

Observat hic Mabillonius his versibus Aureliam non ut Hugonis Capeti aut alterius Gallie regis filiam celebrari, sed ut prolem regiam, id est, ex genere regio natam; et merito quidem id a poeta omisum est: neque enim Aureliam aut Hugonis Capeti, aut Lotharii (quo natam alii dicunt) Gallie regum filiam fuisse, ex ulla aliunde petitis probæ notæ monumentis probatum iri pulem.

distinguenda.

11 In inferiori lapide, inquit porro Mabillonius, qui huic superiori substernitur, operculi instar tumulus contegente, Romanis, id est, antiquissimis litteris, hæc apposita sunt in margine lapidis. . . .

O. M. (alii legunt I. O. M., id est Jovi Optimo Maximo) et perpetuæ securitati et memoriæ dulcissimæ Aureliæ (pro una geminas alii sibi isthuc videntur deprehendere Aurelias, matrem scilicet et filiam) M. Aur. filiæ P. A. E. L. Silvanus (pro quo legunt alii: A. E. L. Juvianus) conjugii incomparabili. [Quæ hic exhibentur variantes lectiones seu interpretationes excerptæ sunt ex Raderi Bavaria sancta (c)]. En denique Mabillonii hac in re conclusionem: Ex hac inscriptione colligimus, vel duplicem fuisse Aureliam, quarum una conjugata antiquis Romanorum temporibus vixerit, alia virgo et quidem recentior: vel certe unam, quæ primis temporibus vixerit, cujus epitaphium cum posterius legere non potuissent, illud cuidam Aureliæ posteriori affinxerit. Inconsculte enimvero egit, quisquis Aureliæ Ratisponæ reclusæ tumulo e ruderibus Romanis erulam inscriptionem imposuit, eoque pacto ansam præbuit non solum Aureliam paganam cum juniore Christiana, quas inter nihil commune fuit, confundendi, sed dubitandi etiam, an inde ab Aureliæ reclusæ obitu inscriptio illa ejus tumulum operuerit, et num verum hujus nomen exploratum habeamus; quid enim si elapso post ejus obitum aliquanto tempore posterius, ea inscriptione decepti, falso credere ceperint mulieris pagane nomen fuisse virginis apud Ratisponam reclusæ, quemadmodum id in Eluviano, seu Ael. Juviano, illius, ut ajunt, sponso, locum habuisse perspicuum est? Hæc paulo fusius dicta sunt, tum ut ne lectorem rerum ad Aureliam Ratisponensem spectantium plane ignarum dimitterem, tum ut perspicere idem, cur supra inter Prætermisissos collocata sit, denique ut vel hinc intelligat Aureliam Argenteratensem a Ratisponensi plane esse diversam: nec enim fieri potest, ut ejusdem Aureliæ corpus Argenterati simul et Ratisponæ tumulatum sertatumque hæc tenus fuerit, cultumque Argenterati et alibi multis ante sæculis Ratisponensis obtinuerit, quam hac luce frui ceperit. Cavendum itaque est, ne hæc cum Aurelia in Martyrologio Argenterati hodie annuntiata confundatur, quem in errore prolapsi sunt Arnoldus Wion in Adjunctis ad *Lignum Vitæ (d)*, et Castellanus in *Martyrologio Universali*: ille quidem dum Aureliam Ratisponensem hodie Romano Martyrologio inscriptam ait; ille autem dum unam dumtaxat Aureliam, et quidem Argenterati, annuntians annum hujus emortualem in margine 1027, quo Aurelia Ratisponensis ex hac vita migravit, assignat. Immerito item ab Arturo du Moustier in *Gynecæo sacro Ferrariensis vapulat, quod in Romani Martyrologii Topographia Aureliam alteram Argenterati, alteram Ratisponæ collocavit*. [Coronidis loco sit lectio, quæ in recentiori Breviario recitatur in festo S. Aureliæ: Aureliam Virginem ex choro earum virginum fuisse tradunt, quæ S. Ursulæ comites ac sociæ adhæserunt. De illius patria, natalibus ac vitæ cursu nihil in historicorum monumentis certi reperitur. Id unum constanti traditione compertum est, eam circa annum Christi trecentesimo octogesimo tertium Argentinam appulisse, ibi morbo correptam obiisse, ejusque cultum in Ecclesia Argentinensi ab immemorabili ævo vigere; siquidem nomen illius Sanctorum fastis jam sæculo nono in eunte insertum legitur; nec non fideles sancta devotione ac fiducia eandem coluere, ut in suburbio civitatis Argentinensis sub ejus invocatione ecclesiam ædificaverint, in qua corpus S. Aureliæ religiose assertum fuit usque ad annum vigesimum quartum supra millesimum quingentesimum, quo a novatoribus sacra omnia proculcantibus tumulus

(a) Vet. Analect., p. 10. — (b) Ratisb. monast., p. 109. — (c) T.

II, p. 169. — (d) p. 900.

effractus,

A effractus, reliquie extractæ ac flammis traditæ fuerunt. In Buci sylloge n. 6 refertur traditio quasi S. Aureliæ templum sæculo sexto conditum fuisset; sed Sanctorum Alsatiz biographus Hunckler ejus ædificationem refert ad Ruthardum episco-

pum, qui medio sæculo decimo obiit (a). Caput S. Aureliæ Ulyssipone repositum legitur Act. SS. T. II. Januar. p. 612. Num vero nostræ, an alterius cujusdam Aureliæ caput, non explicant scriptores.]

AUCTORE  
J. B.

D

(a) Hist. des Saints d'Alsace, p. 445.

## DE S. SEVERO

## EPISC. CONF. TREVIRIS

## SYLLOGE.

J. B.

B Sancti gesta ex Constantio presbytero, tempus, cultus sacer.

E

SÆC. V ADU-  
TO.  
S. Severus,  
S. Lupi Tre-  
censis ep.  
discipulus,

Bina jam pridem ecclesie Gallicanæ lumina, S. Germanum Autissiodorensem et S. Lupum Trecentensem episcopos, illum ad diem xxxi Julii, hunc ad diem ejusdem mensis xxix intulere in Opus nostrum Majores nostri. Floruere hi sæculo æræ Christianæ quinto, junctisque una viribus, inter cætera præclare abs illis gesta Britanniam a Pelagiana lue aliquando felici admodum successu vindicarunt: hodie damus S. Severum, Treverensem in Belgica Prima episcopum, S. Germani Autissiodorensis in expeditione Britannica socium, S. Lupi Trecentensis discipulum; hoc illis certe inferiorem, quod gestorum suorum nedum adeo graves, ac illi, quin potius nullum, qui indubitam ab antiquitate sibi fidem vindicet, præcones consecutus est. Vitam S. Germani scripsit Constantius presbyter Lugdunensis, vir summus, annis xl ab ejus obitu nondum elapsis: S. Lupi Anonymus antiquus, cujus de ætate quidem non ita presse constat, de fide autem integerrima non ambigunt eruditi.

Constantio  
presbytero  
teste,

C 2 Accepta his referri potissimum debet, qualiscumque, quæ ad nos usque permeavit, S. Severi notitia. Ac Constantius quidem presbyter de illo simul et S. Germano ad hunc modum scribit apud nos tomo VII Julii (a): Interea ex Britannis nuntiatur Pelagianam perversitatem iterato paucis auctoribus dilari: rursusque ad beatissimum Virum preces omnium deferuntur, ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni festinus occurrit; dum et laboribus delectatur, et Christo se gratanter impendit. Cessit tandem inimici invidia, victa virtutibus; nec tentare ausus est, quem Dei amicum esse jam senserat.

S. Germano  
ep. Autissio-  
dorensi

3 Adjuncto itaque Severo episcopo totius sanctitatis viro (qui tunc Treveris ordinatus episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat) Parisios iterato dum expetit, totius plebis plausu, ut tantum Virum decebat, excipitur. Benedictionem postulatus, ubertim omnibus impertitur. Interea pignoris inibi dudum a se specialius commendati non immemor, de puella Genovefa, qualiter se habeat, attentius sciscitatur. Credo sanctum Virum

minime latuisse, quæ et qualia post ejus discessum ab obloquentibus virgo beata pertulerat, infamias, probra, criminationes, cunctas postremo, quæ a lividis manare assolent, simultates. Atque ut eorum irrevocabilem in malo pertinaciam par esset agnoscere, iniquæ mentis virus, et jamdudum concepta molimina, nec in ipsa sancti Viri præsentia, aliquatenus potuere suppressere. Verum ille, cui melius, quam ipsi etiam suis esset nota parentibus, obretantium garrulitate posthabita, ad virginis se diversorium contulit, atque hanc non sine ingenti stupore intuentium adeo humiliter salutavit, ut adverteres eum in illa ipsius divinitatis, cujus erat templum, præsentiam fuisse veneratum. Et ne adventus beati Pontificis sacræ virgini nihil contulisse videretur, neve ejus inter improbos persona inexpurgata remaneret, habito sermone ad populum, prima conversationis ejus auspicia declarans. cujus et quanti esset apud Deum meriti, cunctis evidenter exposuit, in argumentum tantæ rei arentem terram, cui orans superjacere consueverat, frequenti lacrymarum imbre madentem ostentans. Itaque universorum animis erga innocentem pastorali assertionem compositis, iter præmaturans inceptum, mare, Christo auctore, conscendit. Ad itineris tranquillitatem elementa consentiunt; navigium venti, fluctus, æra prosequuntur.

hæresim Pela-  
gianam  
\* at. Elaphus

4 Interea sinistri spiritus pervolantes per totam insulam, Germanum venire invitæ vaticinationibus nuntiabant: in tantum, ut Elaphius \* quidam, regionis illius primus, in occursum Sanctorum sine ulla manifesti nuntii relatione properaverit, exhibens secum filium, quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnaverat. Erat enim arescentibus nervis, contracto poplite, cui per siccitatem cruris usus vestigiis negabatur. Hunc Elaphium provincia tota subsequitur. Veniunt Sacerdotes; occurrit inscia multitudo: confestim benedictio et sermonis divini doctrina profunditur: recognoscit populum in ea, qua reliquerat, credulitate durantem. Intelligunt culpam esse paucorum: inquirunt auctores, inventosque condemnant.

5 Cum subito Elaphius manibus advolvitur Sa-

in Britannia  
retulenti

cerdotum

(a) Ad diem xxxi Julii. p. 216.